

*casum percusserit, aut periculosis ictibus in occisum invehit; tum contra eum oritur indicium ad torturam, quod magis augetur, si ipsius gladius cruore vel labe respersus fuerit: cessantibus autem indiciis, tortura quoque cessabit.*

## EXEGESIS.

**Q**uando homicidium aliquod perpetratum est non clam & occulte sed in rixa, tumultu, & hominum concursu, & inter rixandum, & verberandum verus autor homicidii planè ignoratur, tum ad conjecturas & præsumptiones erit recurrendum; Cùm enim de facti autore certò constare nequeat, utendum est argumentis, unde probabiliter colligi possit, quisquam fortassis istud homicidium propriè perpetraverit. Ubi tria indicia concurrere vult. 1. *Inimicitia unius, qui rixam interfuit, cum occiso*: Si nimirum ex illis, qui altercationibus istis interfuerunt, inimicitiam fovit cum interfecto, & cum eo altercatus est; Inimicitia siquidem indicium præbet ad nocendum: præsumitur namque inimicus, quòd habeat nocendi animum, & si possit, etiam nocere velit. Interim tamen sola inimicitia sufficiens indicium non præbet, sed necessum est, ut alia quædam adminicula accedant. (2) *Si suspectus cultrò vel gladiò in occisum fecerit impetum, vel aliis ictibus ei insultaverit*. De eò namque si constet, quod strictò ense quis irruerit in interfectum, eumque casum vel punctum violare intendere, aut aliàs vi adhibitâ per circumstantes se approximaverit, eiqve ictibus fustium graviter nocere voluerit; sicuti fit interdum, ut homines irati velut in rabiem acti irruant in aliquem, & sine consilio, modò ac ratione eum adoriantur; contra talem oritur præsumptio homicidii satis valida. 3. *Si telum ejus repertum fuerit sanguine respersum*. de quo dixi in præcedente articulo. Vide & Boër. *decis. 165. n. 2. p. 293*. Istitis indiciis ita concurrentibus potest ejusmodi suspectus homo torturæ subjici.

II. Quod si istæ enumerata indicia deficient, etiamsi quis in rixa fuerit præsens, attamen ob nudam præsentiam torturæ subjici non potest. Communiter enim ita usu venit, ut ubi rixa orta est, aut tumultus existit, plures concurrere soleant, partim qui eventum contentionis expectent, partim quoque qui pacem facere, aut dissidentes & tumultuantes componere studeant: Unde tamen indicium ad torturam ex sola præsentia sumi non potest. Et ita omnes qui rixæ interfuerunt, & simul pugnarunt, in incertitudine illa positi ex isto homicidio tenentur, non ut singuli

tor-